

gredi compellat : Ah Deus meus ! da mihi
hanc gratiam , ut annos illos aeternos semper
in mente habeam , in omnibus actionibus ,
in omnibus occasionibus habebam oculis
meis , ne ab infelici aeternitate praeventus ,
recordiam & cæcitatem meam aeternum de-
plorem . &c.

CONSIDERATIO II.

De Justitia DEI.

Hec i. justis erit jucundissima 2. impiis
terribilissima , 3. Deo gloriofissima.

P. 1. **H**ec justis erit jucundissima. Et si Divi-
na justitia ab orbe condito in Angelis
non minus , quam hominibus semper se ostendit ,
videtur tamen diem illum supremum ,
quod judicandus est orbis terrarum , sibi spe-
cialiter delegisse , ut tunc in Valle Josaphat
velut in publico theatro gloriam suam & tri-
umphum mundo declararet : maximus enim
hic & celeberrimus totius orbis confessus , cui
similem nulla vidit ætas , quid aliud erit , quam
testimonium publicum , quod tam Angeli ,
quam homines dabunt supremo judici , uno
ore contestantes : *Justus es Domine , & rectum
judicium tuum.* Ps. 118. At ut ut gloriam Deo
dare cogantur omnes in die illa , ejusque supre-
mæ

mæ justitæ, quam dispar tamen erit omnium
facies, quam diversi animo tam motus & af-
fectus? Quibus oculis intuebuntur justi judi-
cere illum, sibi dictum putantes. *Respicite &*
levate capite vestra, quoniam appropinquat
redempcio vestra. Lue. 21. aut illud Isa. 3. *Di-*
sice justo, quoniam bene, quoniam fructum ad-
inventionum suarum comedet. Quam jucun-
dam iphis spectaculum, videre non tam judi-
ceni, quam remuneratorem, in solio Maje-
statis suæ sedentem, ad dispergiendum coro-
nas gloriæ immortalis, non fecerat ac Reges
post cruenta bella parvasque de hostibus vi-
ctorias, inter bellidues regia munera distri-
buerunt, ad contestandum, quam grata sibi
fuerint eorum obsequia? Quam exuberans
lætitia, cum denarium æternæ vitæ, & cen-
tuplum illud, quod viventibus adhuc pro-
missum fuerat, nunc ab æquissimo judice sibi
videbunt exsolvi? Quantum gaudium, cum
e fidelissimis Dei manibus recipient, quo
quondam illi servandum crediderant de-
positum, & quidem cum amplissimo fœnore,
pro caducis scilicet cœlestia, pro mortaliibus
immortalia, pro momentaneis æternas? Quan-
tum solatium, cum recordabuntur temporis
illius, quo euntibant, & flebant mitentes

se-

semina sua; nunc cum exultatione portantes
manipulos suos? Ps. 125. Cum sedebant super
flumina Babylonis flentes, & in salicibus,
suspendentes organa sua; nunc autem cum
gaudio cantantes canticum Domini in Sion
monte sancto ejus? Quanta exultatio, cum lu-
cetum in gaudia, cutas in quietem, servitutem in
liberatem, exilium in patriam, mortem in vi-
tam in revocabili sententia videbunt permu-
tata? Quanta animi lætitia videat mundum
subactum, mortem devictam, pericula dis-
cussa, contritos inimicos, nihilque sibi super-
esse, quam gaudia sempiterna, æternitatem
beatam, possessionem omnis boni, felicita-
tem que in & cum Deo sempiternam? O felic-
itas ora ilucescens beatis illis animabus, præ-
ludens diei aeternae, quæ nunquam videbit oce-
asum! Quanto cum affectu effundentur in
Dei Laudes cum 24. illis Senioribus in Apoca-
lypsi mitentes coronas suas ante thronum
ejus & dicentes: Dignus es Domine Deus
noster accipere gloriam & honorem, quia re-
demisti nos Deo in Sanguine tuo, & fecisti
nos Deo nostro regnum: tibi gloria & impe-
rium in sæcula sæculorum. Gaudeamus &
exultemus & demus gloriam ei, quia vene-
runt nuptiæ agni. Ah quis non cuperet his
exult-

tantum & canentium choris tunc i^{nter}esse ,
Divinæq^te justitiae minima quæque obsequia
tam profusè compensanti debitum obsequiu-
m ac gratiarum actionem persolvere ? An
grave tibi esse pos^t hac in vita delibare sal-
tem calicem passionis & crucem portare post
Iesum , quam in die illa tanta cum gloria ac
felicitate permutabit ? O felices lacrymæ ,
quas tanta excipiet lætitia , felix pœnitentia
quam sequetur tanta abundantia consolatio-
nis , felix labor & dolor , qui in perennem
quietem , & torrentes voluptatum conver-
tentur ! An tunc pœnitebit te renunciasse ter-
renis solatiis & gaudiis , carnem crucifixisse
cum concupiscentiis , amores tuos ad cælum
& cælestia transtulisse , cum patientia & qua-
nimitate tolerasse adversa , & ætumnas hujas
vitæ propter amorem Iesu Christi , qui nunc
te coronat in misericordia & miserationibus ?
Ah respice in adversis diem illam , quæ vel so-
la amaritudinem omnem in dulcedinem ver-
tere & vires sufficie potest , ad generose su-
perandum difficultates omnes hac in vita oc-
currentes . Recordate suavissimorum verbo-
rum , quibus a dilecto Sponso tuo ad peren-
nes vitæ fontes invitaberis . Veni propera amica
mea , columba mea , formosa mea , jam enim
biems

hiems transiit, imber abiit & recessit. Cant. 2.
Veni, coronaberis. Ibid. c. 4. &c.

P. 2. *Impius terribilissima.* Reflecte nunc
paulisper oculos ad massagiam maledicam
damnitatorum ab ipso judice sententibus hædis
annumeratam, & ad sinistram susm in signum
reprobationis collocatam. Intuebontur & ipsi
judicem, sed quam longe alii oculis ac beati,
qui in vultu ejus nihil nisi illicia amoris, puraque
signa benevolentiae & charitatis invenient.
Quam terrifica ipsis apparebit iustitia judican-
tis nisi vindictam portendens? eo quod
Divina ipsis patientia in furorem, amor in
odium conversa sint, illudque eò implacabi-
lius, quod videat se fructa pretiolum suum
sanguinem pro ingratis illis profusisse, om-
niaque & infinita beneficia sua, quibus eos
sibi dum viverent, conciliare studuerat, sine
fructu ipsis impensa? O quis horror compa-
tere coram omnipotente armato in ultionem
inimicorum suorum, intueri vultum illius nil
nisi fulgura & flamas vibrantem, audire vo-
cem illius fulminis instar tonantem, vocem
illam terribilem concutientem cedros Libani,
& commoventem fundamenta terræ? Si vel
solidi dñiti manus ignotæ scribentis in superficie
parietis aulæ regiæ tua verba, eaque peregrini
ser-

sermonis ita perculerint potentissimum Re-
 gem Bathusarem, ut compages rerum ejus
 solvere entur, & genua ejus ad se invicem col-
 liderentur. Dan. 3. quo timore non concu-
 tientur ossi omnia reproborum, dum non
 manum, sed ipsummet supremum judicem in
 comitatu totius aulae cælestis, videbunt in
 gloria Majestatis suæ non tam scribentem,
 quam nse fulminantem sententiam irrevoca-
 bilem mortis æternæ. Nonne implebitur
 tunc illud Is. 3. *Pax impio in malum, retris-
 butio enim manum ejus sicut ei, ve anime eo-
 rum, quoniam redditæ sunt eis mala!* O si ad
 soli signa judicium Divinum præcedentia
 arescent homines præ timore, Luc. 21, quis
 horror, quæ desperatio invadet in seros il-
 los, dura totam aumaturam Divinæ justitiae
 coram oculis suis explicatam, & in se conver-
 sam conspicient? Ceteri Propheta Jobus est
 exemplar innocentiae ac patientiae, cupiebat
 nihilominus in inferno abscondi a facie furo-
 ris Domini, ideoque altum suspirabat: *Quis
 mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me,
 & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?*
 Job. 14. Quid mitum proinde si infelices hævi-
 atimæ iræ & justitiae Dei non sustinentes vul-
 tum ejus, montibus, inclamatui sint, *sadite
 super*

Super nos, & vallibus, operite nos. Luc. 23.
Ad hæc quanto dolore conscientur, memor-
res, quod paululum mellis gustarint in vita
præsente, & cum doloribus infinitis mortem
æternam sibi mercati sint; quod videant car-
culum & terram, Angelos & dæmones, crea-
turas ac Creatorem, mundum denique uni-
versum conspirare in ipso unum pernicitem; &
uno veluti ore cl. mare: deleanur de libro vi-
ventium & cum justis non scribantur. Ps. 68.
Effunde super eos iram tuam, & furor ire tue
comprehendas eos. Ibidem. quod non solua
omni bono sed & spe omnis boni exciderint,
& partem suam æternam habuerint finit in stag-
no ardenti igne & sulphure? Apoc. 21. Ah Do-
mine! Quis novit potestatem ire tuae, & pre-
timore tuo iram tuam diminuerare? Ps. 87.
Quam horrendum incidere in manus tuas
omnipotentes? Quæ spes mihi reliqua erit,
aut manus aut iram tuam effugiendi, si dum
vivo, non placaverim faciem tuam? Ecce mi
Deus! nunc tempus acceptabile, nunc dies
salutis, quos dedisti nisi ad avertendam in-
dignationem, & recuperandam gratiam tu-
am, dummodo per seriam pœnitentiam ad te
revertar. Nunc prosunt mihi suspiria & la-
crymæ, quibus mitissimum cor tuum expug-
natur,

natur, & ad clementiam Heclii ut, quatum
torrentes imo maria tunc frustra profundam.
Nunc appellare mihi icet thronum mis-
ericordie tuæ miserorum omnium refugium,
ut revoces sententiam mortis in judicio tuo
contra me forte jam latam; at cum dies ul-
tionis tuæ advenerit, quæ spes aut misericor-
diam aut justitiam tuam flectendi? Quantus
nunc amor tuus, tanta tunc erit indignatio
tua: quam longanimis ac placabilis nunc in-
terveniente bonitate, justitia tua est, tam se-
vera tunc erit & implacabilis. O amabilissime
Salvator! contestor te hodie & rogo per quid-
quid tibi charum, ne justissimam iram tuam,
& quas commerui pœnas in diem illum diffe-
ras, sed secundum infinitam misericordiam
tuam me nunc castiges, ut in die illa merear
evadere tremendam sententiam damnationis
tuæ. Recordare amoris tui, quo me in vita &
morte semper complexus es, vitam omnem sa-
luti meæ impedens, & in morte una cum pre-
ciosissimo Sanguine totam animam tuam. Ah
tantus amor, tantusque labor non sit cassus.
&c.

P. 3. *Deo gloriosissima. Non tam amabilis*
erit justis, ac terribilis impiis Divina justitia
in die illa suprema, quam ipsi Deo gloria.

Imag-

Imaginare tibi rebellis quosdam subditos, qui per annos complures Principis sui benignissimi potentiam laceriaverunt, Majestatem contumeliis affecerunt, patientiam ac bonitatem omni injuriarum genere exercuerunt, hunc tandem tot injuriarum perniciem patientia diuina in furorem versa correptis armis eos aggredi, primeque imperio subversos, in potestate suam ac captivitatem redigere; amabo, quanta ex iam felici expedit onus gloria non redundabit in Principem: quanta fidelium subditorum suorum acclamatione, & applausu non excipietur: quam festivae undique non audiensur voces ac gratulationes, cum post curium triumphalem videbunt trahi longissimum symma devictorum hostium, ipso vultus pallore, ac squalore corporis infelicem sortem suam contestantium? An rebellium illorum commiseratione quisquam tangetur? Nonne potius omnes communis suffragio dignissimos pronunciabunt, qui ad supplicia trahantur, utpote tot titulis perditionis rei? At nonne peccator cum viveret, Dei legitimi ac supremi Domini sui jugum excutere conatus est, nonne bonitatem ejus vertit in materiam offensae, ejus incredibilem patientiam diu multumque fatigavit, potentiam

tiā sprevit, majestatem & autoritatem nihil habuit, justitiam irritavit, pro beneficiis malefacta reddidit, injurias injuriis indies multiplicavit? An non proinde æquum est, ut exfurgat aliquando Deus in ira sua, & exaltetur in finibus inimicorum suorum, reddatque ultionem hostibus suis, & his qui oderunt eum, retribuat? Deut. 32. Et nonne hoc ipsum cedit in laudem & gloriam Dei, ejusque Divinæ justitiae, exigentis, ne delicta maneat impunita? Quod si non solum æquum sed & honorificum est terrenis Principibus, honorem sibi debitum, contra iniquos aggressores sarcum testumque tueri, num minus honorificum sit Deo in omnibus infinito & domino dominantium tuefi gloriam suam? Nonne potius impotentiae vel timiditati tribueretur, si honorem suum negligeret, nec vindicaret tam graves injurias sibi irrrogatas? Certe si justum ac gloriosum fuit Deobossem infensissimum populi sui, superbum nempe Pharaonem cum exercitu suo obruisse flictibus matis rubri, quanto gloriōsius erit, si in proprios hostes suos brachium omnipotentie sue extendit, eosque ad justissima supplicia condemnet: quanto etiam ampliorem Beati causam habebunt,

illi

illi cum Moyse accinendi : *Dextera tua De-*
mine ! magnificata est in fortitudine , dextera
tua Domine ! percussit inimicum . Et in multi-
tudine gloriae tua depositi adversarios tuos ,
misiisti iram tuam , quae devoravit eos , sicut
stipulam . Exod . 15. Si Angeli laudibus Deum
celebrarint ob natum Salvatorem , licet ad-
huc velut imbellis ac inglorius jaceret in cu-
nis , quanto magis erumpent in laudes Dei ,
cum videbunt eum palam triumphantem de
inimicis suis , qui non veriti fuerant manus
sue levare in Clatistum Domini rursum cru-
cifigentes , ut ait Apostolus ad Hebr . 6. Si-
bimet ipsis filium 'Dei ? Agnosco sane Domi-
ne ! nihil iustius , nihil pariter glorioius tibi
esse , quam ut vincas , cum judicaris , & ut
extollam in die illa justitiam tuam , si non ex-
tulero misericordiam tuam . Veruntamen be-
nignissime Salvator ! num contrafolium , quod
vento rapitur , ostendes potentiam tuam , Et
stipulam ficciam persequeris ? Job . 13. Volesne
premium infinitum sanguinis tui pro me tan-
copiose profusum , mihi esse in damnationem
& interitum ? Novi equidem quod hic sanguis
tuus non minus aliquando poscit vindictam ,
quam sanguis innocentis Abelis , at nonne
nunc saltet adhuc implorat misericordiam ?

Quid proderit tibi æterna miseria & infelicitas mea? At quantum mihi prodesse potest gratia ac misericordia tua? Noli ergo attendere iniquitatem & peccatum meum, sed potius respice infinitam benignitatem tuam, quæ te moveat ad dandam mihi gratiam sinceræ pœnitentiaz, qua expiem in vita scelera mea, ut in die illa tremenda evadam judicium ultionis tuæ, & merear lucis æternæ beatitudine perfici, &c.

CONSIDERATIO III.

De Dominio DEI,

Deus Supremus Dominus noster,
1. Titulo jurisdictionis, 2. Titulo proprietatis. 3. Titulo acquisitionis.

P. 1. *D*eus Supremus Dominus titulo jurisdictionis. Si iis omnibus, quibus in republica terum summa commissa est, jurisdictione competit in subditos sibi populos, authoritasque legitima condendi, mutandi vel abrogandi leges, quanto magis hæc competet Deo tanquam communis omnium Domino? Quale enim illud foret dominium, cui nulla suffragaretur authoritas, nulla potestas libertatem subditorum restringendi? Qualis